UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Congratulatio Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

CONSIDERATIO XLIX.

AMOR DEI,

Congratulatio DEI.

Excellentiſſimus actus divini Amoris eſt, Complacentia, Gaudium, & Gratulatio de divinis perfectionibus, ait Dionyſius Carthus. Complacet mihi, Deus meus, & gaudeo, quòd ſis, qui es: primum Eſſe in independentia, potentiſſimus in Omnipotentia, infinitus in ſapientia, infinitus in bonitate, omnipræſens per immenſitatem, ſemper durans per æternitatem. Gaudeo, quòd ſis, qui es: ſumma pulchritudo, ſumma dulcedo, origo omnis boni, Oceanus omnis perfectionis, abyſſus omnis eſſentiæ, quæ eſt, & eſſe poteſt.

Sed quia Amor amat bonum, quaſi proprium, tanquam ſibi conveniens, tanquam propriam perfectionem; dum gaudeo tuis perfectionibus, gaudeo etiam de meis: quia eædem, quæ tuæ, ſunt meæ: tuæ per naturam, meæ per gratiam. Independentia tua, etiam mea: Omnipotentia tua eſt mea; mea eſt tua pulchritudo ac dulcedo, immenſitas, & æternitas: & in ſumma, quia meus eſt Deus, ac totus Deus, erit & meum, quidquid Dei eſt, & omnis divina Perfectio.

Quare, ô meum dulciſſimum Bonum, quando te nominas in S. Scriptura, addere ſoles Sancto Nomini tuo dulciſſimum hunc titulum *Tuus*, dicendo, *Ego ſum Dominus DEVS Tuus: unus eſt Deus Tuus: adorabis Dominum Deum Tuum.* Et vis dicere; Sum Deus tuus, & totum id, quod ſum, tuum eſt; quidquid habeo, tuum eſt. O verbum dulciſſimum! Siſte, anima, & perpende, quid ſit hoc *Tuum*; & reſponde dicendo cum David; *Tuus ſum ego: Tu totus meus, & ego tuus.*